

Johann Wilhelm Schmid

Praemissa est commentationis, in qua remissionis peccatorum notio biblica indagatur


Particula II : Dies Nativitati Iesu Christi Sacros Civibus Indicit. Academia Ienensis

Ienae: Typis Fiedlerianis, MDCCLXXXVI

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86237734X>

Band (Druck) Freier  Zugang





87

Fa 1092 (87.)

A. M. Synonymum
Rostock im Jun. 1815.

Dissertationen

- 1, De veris bonarum artium literarumque incrementis ex libertate publica, Oratio, Diela a Chr. Gottl. Heyne - Göttingen 1763.
- 2, Dissertatio historico-theologica de sacris theologicis, col. lectos ex Leon. magno pontifice romano scriptis. Auctor Joh. Jac. Griesbach Halae 1768.
- 3, De fide historica ex ipsa rerum, quae narrantar natura, judicanda. Auctor. Joh. Jac. Griesbach Halae 1768. -
- 4, Orationem Augustanae confessionis memoriae ex instituto Lynkeniano ipsa Cal. Octbr. 1791 habendam, indicat Chr. Godofr. Schütz, prof. ord. Senae.
- 5, quod. scilicet altera
- 6, Oratio in anniversariis inaugurationis sacrae academiae Georgicae Augustae, habita a Chr. G. Heyne, prof. eloq. Göttingae 1776.
- 7, Observationes nonnullae ad historiam dogmaticam de spiritu sancto a Joh. Georg Cosenmüllero Erlangae.
- 8, De theologiae christianae origine, Dissertatio Joan. Georg. Cosenmülleri, Lipsiae. -

- 9, Ab lauro, dissertatio de accommodatōne
Christi in primis & apostolicis tribula
Lipsiæ, 1793.
- 10, Dr. Joan. Guil. Rad P. P. O. de
Joannis baptistae in rem christianam
studiis. Sectio I. Erlangæ
- 11, Sectio II.
- 12, Dr. Georg. Friedr. Seiler summo in theologia
honores in virum gen. et mas. rev. Gottl.
August de Haenöner rite collatos indec. 7
Erlangæ, 1792.
- 13, De vaticinationum causis atque finibus, Dissert.
Dr. Seiler. Erlangæ.
- 14, Sectio II.
- 15, Dr. Ammon, brevis argumenti: pro summi
numinis existentia recognitionis. Pars prior, Erlangæ
- 16, Pars II.
- 17, Dr. Seiler summo in theol. hon. in Mag. Haenlein
rite conferendos indec. 7. Erlangæ 1795.
- 18, Michael Weber, prof. ord. de discrimine legitime et
licite, recte et honesto factorum in l. N. J.
proposito, vulgo neglecto.
- 19, Michael Weber ad memoriam resurrectionis Christi,
rite celebrandam invitatur, 1793.
- 20, Memoriam natalitatis Jesu Christi que recollenda
vobis commendat a academia Jenensis, 1794.
- 21, Part. II. 22, Part. III.
- 22, Commentatio de consilio, quo scriptor in act.
apost. concinnandis ductus fuerit, Senæ 1818.
- 23, De verbis Christi et notōibus de adventu
Christi in N. J. oblati in primis. Jesu vate
cino Matth. 24 a Tychsen Göttingæ 1785

Josephus Juley

21.

D I E S

NATIVITATI

IESV CHRISTI

S A C R O S

CIVIBVS INDICIT.

ACADEMIA IENENSIS.

*Praemissa est commentationis, in qua remissionis peccatorum
notio biblica indagatur, particula II.*

I E N A E

TYPIS FIEDLERIANIS.

C1818CCLXXXVI.

21
22

D. 1. 8.

NATURALIA

LIBRY CHRISPI

1600

ACADEMIA

ROSTOCKENSIS

LIBRY
CHRISPI
1600

DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES
MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA
RAVENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

C I V I B V S.

Remissionis peccatorum notionem in libris scripturae sacrae expressam temporibus illis, quibus conscripti sunt, saepius mutatam et rerum divinarum scientia inter homines magis amplificatam ipsam quoque clarius explicatam ac pressius definitam fuisse, ex argumento librorum illorum satis luculenter apparet. Quare cum consilium ceperimus, omnes istas *vicissitudines* uberius investigandi, ut universa ἀφεσις τῶν ἀμαρτιῶν notio in sacris litteris *obvia* rite formari queat, anno superiori in *prima commentationis nostrae particula* vetustissimam notionis hujus formam indagavimus, et, quo sensu praesertim peccatorum remissio sive poenarum sublatio sacrificiorum ritu adumbrata sit, ostendimus.

Duplicem autem huic ἀφεσις aetate illa tributam *significationem* deprehendisse, nobis, si meministis, CIVES, videbamus.

A 2

Nempe

Nempe *כַּף נִסְּוּ* sive *חֲנֻכָּה* in libris Moſis nihil aliud indicat quam *ſublationem poenarum terreſtrium*, et ſi de *expiatione per ſacrificia* agitur, nihil aliud ſpectatur, quam ut *profanitati nota deleatur*, iique, qui facinoris cujuſdam aut piaculi rei civitate ſacra excluſi fuerant, quaſi poſtliminio in eandem redeant. Neque vero duae illae notiones tantopere diſcrepant, ut una formula exprimi et conjunctim ad externam ſtatus qualitatem in melius mutatam referri nequeant. Etenim delicto aliquo commiſſo duplici modo *ſtatus externus depravatus* cogitabatur, primo *poenis* reo inferendis et *meta poenarum* illarum inde exorto, deinde *profanatione* ejus et *excluſione a ſacris* Iſraëliitarum cum ea arctiſſime conjuncta. Ut igitur ad *priorem fortunam amiſſam* reduceretur peccator, tum *liberatio a poenis* promeritis, ſaltem earum *imminutio*, tum *profanationis ſublatio* et ſancitatis externae reſtitutio neceſſariae fuerunt. Poſterius non niſi ſacrificiorum legitima oblatione effici poterat, ad prius autem perficiendum ſacrificia proſuſ non valebant, ſed a gratia tantum divina poterat exſpectari.

Quibus praemiſſis in argumento incepto progrediamur, et, qualis *remiſſionis peccatorum adumbratio* fuerit in *psalmis aliisque libris Ver. Teſt.* illa aetate ſcriptis, ſedulo diſquiramus. Omnibus locis hanc materiam tractantibus rite comparatis, ea non ad *expianda peccata ſacrificiis oblatiſ* reſpicere, potius de *tollendis aut minuendis poenis* iisque non *ſpiritualibus* ſed *terreſtribus* tantum agere, ſatis ſuperque elucet. Nimirum Iudaeorum de morali actionum indole earumque imputatione, nec non de ſancitate Dei ejuſque juſticia remunerante atque puniente cognitio illa aetate adeo manca atque imperfecta fuit, ut cogitatione ſua non facile ultra rerum terreſtrium limites ſe evehere conarentur. Peccatorum enim vim unice in violata lege divina, in contumacia erga ſummum omnium nationum principem infinita potentia praeditum, gentem Iſraëliticam prae reliquis gubernantem, tuentem et inſignibus beneficiis ornantem; in defectione ab ejuſ cultu et

9

rebellionem contra eum (וְשָׂא) posuere. Deus supremum suum imperium et beneficia collata acriter urgens, peccatis contra mandata sua commissis admodum offensus, orientis principi similis, vehementi ira incensus et vindictae cupidus, adeoque mala ac infortunia cujuslibet generis, morbos, famem, contagionem atque pestilentiam, mortem praematuram, tempestatem atrocem magna cum procella, grandine ac tonitribus, aliasque calamitates hominibus immorigerantibus infligere videbatur. Ps. LXXXIII, 14—16. CXXXXIII, 5. 6. Omnes igitur casus adversos in numero poenarum iudicis irati ac potentissimi posuerunt, magno inde animi metu atque angore se cruciantes. a) Et ab hac aetatis suae praedjudicata opinione etiam David, vir alias prudens et perspicax haud abhorruit. Quamvis enim in carminibus suis quaedam futurae vitae expectatae vestigia inveniuntur, tamen haec spes, quam mente conceperat, praesagium tantum obscurum vitae post mortem fuisse videtur, ita ut manes in הַנְּשִׁיב commorantes modica felicitate frui arbitrarentur. b) Certe in expectanda vel impetrata peccatorum venia et precibus de ea factis nunquam poenarum alterius vitae, sed terrestrium tantum, rationem habitam esse apparet. Quod quidem ex singulis locis huc pertinentibus ut demonstremus, argumenti ratio omnino postulat.

Nimirum 2 Sam. XII, 13. Davidi a Nathane gravissima poena propter delictum adulterii atque caedis indicta, propheta hujus peccati veniam ei annuntiaturus nihil aliud agit, quam ut a poenis illis gravibus et supplicio, quo ipse dignum se judicasset, eum liberatum iri promittat. Eodem modo Cap. XXIII, 10. David, postquam numerare jusserat populum, et magnitudinem peccati sui in Deum ac dementiae suae confessus erat, petit, ut *transire*

A 3

a) Vid. Cel. I. G. HASSII *Idiognomik Davids*, pag. 263, 199, et 360 sq.

b) Vid. HASSIUS in lib. alleg. p. 282, 199.

jubeat Iehova culpam huius facti, (הַעֲבֵר נָא אֶת־עֵינַי עֲבָרָךְ) id est, pro merito non puniat; quod etiam Deus hactenus ei concessit, ut gravem pestilentiam poenae causa populo inflictam cessare juberet. Populus autem a profanatione inde exorta sacrificio oblato liberatus est, v. 25. יַעֲתֵר יְהוָה לְאַרְצָךְ, quod LXX. vertunt: καὶ ἐπῆυξσε κυριος τὴν γῆν, *expiatus est Deus cum terra.* Contra 2 Reg. XXII, 4. Deus noluisse dicitur condonare, (לֹא אָבָה יְהוָה לְסַלֵּחַ) dum interitum regni ob delicta gravia paratum impedire noluit. Tandem 2 Chron. VII, 13. 14. Deus Salomoni promittit: *si poenis inflictis, clauso coelo, aut locustis terram devastantibus, aut peste in populum immissa, se submitserint Israëlitae, et correctis pravis moribus in templo eum precati fuerint, se de coelis exaudire, peccatis eorum ignoscere, (אֶסְלַח חַטָּאתָם) et terrae eorum mederi, adeoque a poenis delictorum eos liberare velle.*

Ita etiam peccatorum veniam in psalmis ad terrestres tantum poenas referriprehendimus. Ita David Ps. XXV, 7. 11. 12. 13. condonationem peccatorum et sublationem poenarum petit, dum ab infestissimis atque valentissimis hostibus exagitatus et periculis undique cinctus a Deo adjuvari se et subveniri inopiae suae cupit.

Psalmo XXXII, conficiendo David sine dubio crimen magnum, forsitan adulterium cum Bathseba et caedes Uriae, 2 Sam. XI. XII. ei que succedens poena gravis occasionem dedit. Inde summa anxietas illa ex metu poenarum orta optime explicari potest, quam gravissimis verbis poeta v. 3. 4. ita describit:

כִּי הִחַרְשֵׁתִי בְלֹו עֲצָמַי כְּשִׂאֲנֹתַי כֹּל־הַיּוֹם :
כִּי יוֹמָם וּלְיָלֵלָה תִּכְבֵּר עָלַי יְהוָה נִהַפֵּךְ לִשְׂרֵי כְּחֶרְבֵנִי קוֹץ :

Cum celare vellem culpam mihi contractam, contabuerunt ossa mea toto die ingemiscens; quumque manus tua dies noctesque me premeret, succus meus exaruit, quemadmodum in aestate media fieri solet.

solet. Quis enim hic non poëticam descriptionem summi angoris animi ob timorem poenarum videt, quum manus Dei eum tam graviter deprimens nihil aliud nisi gravissimam poenam divinam sibi instantem designare potest. c)

Idem facinus a Davide psalmo LI. deploratum inscriptio hujus carminis indicat, et sensus doloris, poenitentiae et angoris animi in eo expressi cum narratione hujus facti omnino bene concordant, praecipue verba v. 10. תְּגַלְגַּלְנָה עֵצְמוֹת רַגְלֵי, *sententiam laetam mihi iterum pronuncies, et ossa confusa exultantia reddas*; quod de poenis a Nathane Davidi 2. Sam. XII, 10 — 12. 14. annunciatis commode explicari potest. Quodsi vero ἀνθευ-
τριαυ hujus inscriptionis in dubium quis vocare ratum duxerit, quoniam precatio de aedificandis muris Hierosolymitanis tempore Davidis in epilogo hujus psalmi supervacanea fuisset d), tamen de crimine magno et poenis gravibus, quas metuerit vates, hic sermonem esse, ex universo carminis argumento sufficienter apparet, et precibus v. 13. occurrentibus: אֵל-תְּשַׁלֵּיכֵנִי מִלְּפָנֶיךָ, quod de proscriptione plena, exclusione e civitate sacra et detru-
sione in perniciem summam intelligi debet, magis adhuc confirmatur.

Porro psalmo LXXXVI. rex petit, ut avertatur mortis periculum, quam infesti hostes minabantur, idque carmen ad bellum cum Absalone gestum respicere videtur, quo David caedis Uriae poenam luere sibi videbatur. Psalmo LXXXVIII. 8. *Deus ul-*
ciscens,

c) Haec facillima et contextui maxime accommodata interpretatio esse videtur. Quare a nobis impetrare non possumus, ut cum b. ZACHARIAE in *theologia biblica*, P. III. p. 538. et in *Versione Psalmorum* carmen hoc post gravem morbum aliquem confectum esse statuamus.

d) Conf. H. E. G. PAULI nostri *philologischer Clavis über das alte Test. die Psalmen*, pag. 138. sq.

8
 ciscens, (נִקְּוֹ) i. e. puniens facta Israëlitarum prava et iterum
 ferens (נִשְׂנָה) peccata eorum, i. e. poenas auferens nominatur.
 Psalmus CIII. carmen est hominis, qui ex difficili morbo conva-
 luit, quod ex v. 3-5. perspicui potest, ubi Deus dicitur morbos
 sanare, ex orco in vitam revocare, et juventutis florem aquilae
 instar renovare. Haec autem beneficia dum Deo tribuuntur,
 idem ignoscens omnibus iniquitatibus (סִלַּח לְכָל-עֲוֹנוֹתַי) ap-
 pellatur, unde merito concluditur, veniam peccatorum aucto-
 ri carminis esse liberationem a morbo tanquam poena pecca-
 ti, quoniam utramque hic arceissime conjunctam reperimus. De-
 nique psalmus CXXX cantio est poenitentialis in magna aliqua po-
 puli calamitate condita, in qua שָׁמַר עֲוֹנוֹתַי, v. 3. poenam ipsam
 insigere, סָלַח אֱלֹהִים מִכָּל-עֲוֹנוֹתַי, v. 4. liberationem a ca-
 lamitate illa tanquam poena promerita denotare in apriico est.

Vicinus ergo, in omnibus hisce locis peccatorum veniam in
 remissione poenarum terrestrium positam esse, nec ad poenarum alterius
 vitae sublationem ullum respectum haberi. Ipsa autem haec
 peccatorum venia variis tam propriis quam impropriis lo-
 quendi formulis exprimi solet. Usitatissima est סָלַח, propitius
 fuit, condonavit, poenam remisit, in omnibus fere dictis supra lau-
 datis occurrens. Aliae phraes ita comparatae sunt, ut factum
 pravum infectum quasi reddi adeoque impunitas peccati poenae
 loco concessa dicatur. Ejusmodi phraes sunt: Deus transire fa-
 cit peccatum, יָהוָה הֵעֵבִיר חַטָּאתִי, 2 Sam. XII, 13. C. XXXIII,
 10. non recordatur amplius peccatorum et praevagationum, potius
 benigne recordatur peccatoris; וְשָׁמַר לֹא זְכוֹר | כְּחַסְרוֹ זְכוֹר-לוֹ
 חַטָּאתַי, Ps. XXV, 7. ex periculis educit et omnia peccata tollit,
 חַטָּאתַי לְכָר-חַטָּאתַי, v. 17. 18. Aliae phraes idem fere desig-
 nantes praecipue Ps. XXXII. occurrunt. Ita enim vates canit:
 V. 1. אֲשׁוּר נִשְׁוִי - פָּשַׁע כִּסְוֵי חַטָּאתַי:
 V. 2. אֲשֶׁר לֹא יָדַע לֹא יִחַשְׁבֵּן יְהוָה לוֹ עֲוֹנוֹ וְאִינוּ כְרוּחוֹן רַמְיָהּ.
 V. 5. אָהָה נִשְׁאַת עֲוֹן חַטָּאתַי.

Bea-

Beatus, cujus praevaricatio oblita, cujus peccatum coniectum est; beatus homo, cui Iehova culpam non imputat, in cuius animo cogitatio projectionis e) (a facie Dei) non amplius adest. V. 1. 2. Tu (Iehova) peccati mei culpam sustulisti. V. 5. Itaque venia peccatorum in hoc loco ita describitur, ac si ad spectu delictorum sublato et memoria eorum penitus extincta, reatus culpae et poenae ac reputatio divina penitus cessaverit, adeoque subsequens eam poena non amplius metuenda sit, et, ut v. 6. 7. clarius enunciatur, calamitas velut poena peccatorum respicientes pios non attingat, sed iidem a Deo conserventur et e periculo eripiantur.

Eadem ratione formulae illae adhibitae sunt in psalmo LI, dum vates v. 11. rogat, ut *Deus faciem suam a peccatis ejus avertat*, (חַסְדֵּךָ יְיָ מִחַטָּאתַי) ita ut ea non amplius videat neque peccatorem poena dignum judicet. Eodem loco et v. 2. cum hac formula aliam priori similem conjungit. nimirum: *dele iniquitatem et praevaricationem*, מַחַח בְּשָׁעֵי וְכֹל עֲוֹנוֹתַי, *debitum quasi ex adversariis penitus extinguas*. Sed et alia tropica hujus remissionis poenarum descriptio in hoc psalmo exstat ad eundem sensum ducens. Ita enim Deum duplex orat:

V. 4. : הַרְבֵּה (ק הַרְבֵּה) כִּכְסֵּנִי מֵעֲוֹנֵי וּמַחְטָאתַי מִהַרְבֵּי

V. 9. : תַּחַטְּאֵנִי בְּאֵזוֹב וְאַטְהַר תְּכַבֵּסֵנִי וּמַשְׁלֵךְ אֶלְבָּנִי

Multum me ablue ab iniquitate mea et a peccato meo purga me. V. 4. Expia me hyssopo, ut purus fiam, ablue me, ut candidior reddar nive. V. 9. Imago desumpta est a sordibus corporis, quae lavatione delentur, ut purus reddatur homo, et a leproso, qui morbo sanatus purus haberi non poterat nisi sacris in lege prae-

e) רָמַיִחַ idem hic denotare videtur ac רָמַח, nimirum projectionem scil. a facie Dei, a Chald. רָמַח, רָמַח, projecit, dejecit. Aptior enim haec interpretatio connexioni est, quam conlucta: *fraus*, quae cum antecedentibus verbis minus bene cohaeret. Nec valde pugnabimus, si quis vim vocis: *criminatio conscientiae*, (*Vorwurf des Gewissens*) praeferendam censeat, Vid. PAULI nostri *clavis in psalms ad h. 1.*

B

praescriptis rite confectis. Ad hanc enim inter alia pertinebat conspersio leprosi sanguine avis mactati hyssopo adhibita et bis repetita lavatio in flumine, quo facto demum omni ex parte purus habebatur. Levit. XIV, 4 sqq. Indicium autem certum leprae sanatae color fuit albus in universo corpore apparens, Cap. XIII, 12. 13. unde verba desumpta videntur: *ut candidior fiam nive.* Quemadmodum ergo leprosus his omnibus rite peractis a sacerdote purus pronunciatus summa laetitia perfusus est, ita etiam auctor carminis talem sententiam Dei v. 10. audire cupit, quae penitus eum a poenis absolvat animumque metu poenarum et angore magno percussum gaudio ac laetitia repleat. f).

Caeterum phrasae ejusdem tenoris Ps. CIII, 10 — 12. attentionem nostram merentur. Ibi enim auctor: *non pro peccatorum nostrorum indole, ait, nobiscum agit, nec quoad digna sunt facinora nostra respondit nobis. Nam quantum caelum superius est terra, tantum benignitas ejus excellit erga colentes eum. Quantum distat oriens ab occidente, tantum removet a nobis praevaricationes nostras.* Et Ps. CXLIII, 2. precatur vates, *ne in iudicium veniat Deus cum peccatore,* facta ergo ne disquirat, i. e. non puniat, ac si nihil pravi commissum fuerit.

His omnibus plenam atque perfectam delictorum remotionem, quae ne minimum quidem vestigium eorum relinquat, adumbrari, non est, quod uberius demonstramus. Restat igitur, ut, quali animo ille affectus dicatur, qui certam et indubitam hujus condonationis spem concipere velit, brevibus adhuc investigemus.

Primo in omnibus supra laudatis locis deprehendimus, peccatorem, antequam veniam delictorum expetere auderet, nunquam non culpam agnovisse ejusque se ex animi sententia pigere ac poenitere confessum esse. David 2 Sam. XXIV. 10. agnoscit, se graviter peccasse contra Deum, eumque facti admodum poenitet. Idem Ps.

f) Conf. b. MICHAELIS *deutsche Uebersetzung des A. Test.* P. IV. in annotationibus ad h. 1, et b. ZACHARIAE *Uebersetzung der Psalmen*, Ps. LI.

Pf. XXII, 3. 4. narrat, anxietatem animi sui ad summum gradum evectum esse, cum peccatum suum negare, culpam celare voluerit, et tum demum se condonationem a Deo accepisse, postquam delictum suum ingenue confessus sit. Etiam Pf. LI. agnoscit vates v. 5. debitum suum magnum, et memoria ejus nunquam ex animo discedit; (תמיד חפאתי נגדי) v. 6. cum dolore animi cofitetur, se obnoxium soli Deo summo judici factum esse, lege ejus impie violata, dignum se esse declarat, qui poenis gravibus a Deo afficiatur, justum manere Deum sententiam ferendo, integrum damnando; v. 7. a juventute jam se magnum peccatorem fuisse recordatur, et v. 1. immunitatem a poenis ab insigni tantum gratia ac misericordia Dei exspectat. Praeterea v. 19. idem poenitentiam acerbissimam et afflictam mentem solum Deo gratum et acceptum esse sacrificium, et hac una lege ejus gratiam nobis conciliari posse docet.

Altera conditio veniae peccatorum sperandae in emendanda vitae ratione, omittendis peccatis prioribus et obedientia indefessa Deo praestanda ponitur. Ita Deus 2 Chron. VII, 13. 14, ea sub lege preces in templo de avertenda calamitate suas se exauditurum esse promittit, si dereliquerit populus vias suas pravas et animo pietate pleno ad eum redierit. Pf. XXXII, 9. David mentem Deo deditam ejusque Legi obtemperantem ad avertendas poenas, gratiam Dei sibi conciliandam ejusque beneficia sibi paranda, necessariam esse putat. Pf. LI, 12. auctor a Deo petit, ut mentem a vitiis liberam animumque renovatum et in bono confirmatum sibi largiatur;

לְבַטְחוּר בְּרֵא-לִי אֱלֹהִים וְרוּחַ נְכוֹן חָדַשׁ בְּקִרְבִּי:

V. 15. promittit, se non modo ipsum ad meliorem frugem redire, sed alios etiam a recta via aberrantes praecepta divina docere et peccatores ad Deum reducere velle; contra v. 18. sacrificiis nullum valorem ad redimendam poenam et recuperandam gratiam Dei tribuit. לֹא תִחַפֵּץ זִבְחַ עֹלָה לֹא תִרְצֶה:

Eandem conditionem David etiam Pf. CIII, 13. 17. 18. illis praescribit, qui gratia et misericordia Dei frui cupiunt, v. 13.

con-


contendens, Deum non nisi erga cultores suos (יְרֵאִי) se misericordem praebere, et v. 17. 18. benignitatem atque liberalitatem suam per omnia saecula constanter exhibere in omnes, qui eum revereantur, (לְשִׁכְרֵי בְרִיתוֹ) foedus ejus conservent, (לְשִׁכְרֵי בְרִיתוֹ) et mandata ejus eum in finem in memoria habeant, ut ea semper exsequi possint (לְזִכְרוֹ בְּקִרְיֹוֹ לְעִשְׂוֹתָם).


Quae omnia ut paucis comprehendamus verbis, dogma illius aetatis de remissione peccatorum ita comparatum fuit, ut eam primo in sola poenarum terrestrium sublacione aut imminutione quaesiverint eamque varia ratione adumbraverint; deinde ut ad hanc sibi comparandam impunitatem tum agnitionem et confessionem liberam actionis pravae perpetratae, inobedientiae erga Deum et poenae eam ob causam debitae, tum poenitentiam sinceram de peccato commisso, tum etiam emendationem animi atque vitae, vitationem priorum facinorum et reverentiam atque obedientiam erga Deum perennem studiumque ardentissimum benevolentiae ejus se dignum reddendi, necessarium esse duxerint ludaci. Itaque cum omnia tantum ad potentiam Dei summam, imperium ejus immensum, leges ejus positivas servandas, beneficia ab eo expectanda et poenas metuendas retulerint, emendationis atque justificationis *moralis* notionem rudi isto saeculo frustra aliquis quaeret.


Amemus igitur felicitatem, quibus clariorum et veriorum de virtutis, religionis, beatitatis futurae et immunitatis a poenis notitiarum copia datur. Magnas nimirum statore ac promotore religionis nostrae Iesu Christo debemus gratias, qui ad hanc meliorem cognitionem, virtutem puriorem et felicitatis perennis spem vividiorum consequendam doctrina sua viam paravit planam et apertam. Agite igitur, CARISSIMI CIVES, dies nativitatis ejus sacros ita celebrate, ut beneficia ejus in Vos collata pia grataque mente perpendatis, bene, sapienter ac pie vivendi rationem magis magisque excolatis, adeoque nihil Vobis a summi numinis vindicta timendum, omnia potius beneficia ab indulgentissimo parente, si digni fueritis, expectanda esse, Vobis persuadeatis!! P. P. die Nativitatis Iesu Christi, Anno CCLXXXVI.

(L. S.)

- 24, *Doquintus*, quatenus disciplina religionis
et theologiae christianae pendeat ab historia
Iesu Christi. Auctore Ammon. Göttingae
- 25, *Variarum de origine fessu pentecarum experientis*
Göttingae.
- 26, *Botanicae de futura corporum exanimatorum*
inspiratione, autem Christi autem historia. Auctore
Staudlin. Göttingae.
- 27, *Comment. De legis Moysiacae momento et*
ingenio, collectione et effectu. Auctore
Staudlin. Part. I. Göttingae 1796.
- 28, *Scriptis II.*
- 29, *De religione naturali publica. Auctore Staudlin.*
Göttingae. -
- 30, *Declaratio diversitatis linguarum ex*
traditione Semitica Originis. Auctore Cöllern
Göttingae 1788.
- 31, *Deu zur Veranschaulichung des Jesusschicks Friedrich,*
ausgegeben von Dr. Ammon. Göttingen 1795.
- 32, *Ueber die Aufklärung des inneren Mordes einiger*
inneren Mythen mit dem moral. Mord. Ein
Sammlung von Aufsätzen von Dr. Ammon.
Göttingen, 1796. -
- 33, *Von dem Ursprung und der Beschaffenheit eines*
innerelebens vollf. Aufklärung. von Dr. Ammon,
Göttingen, 1797. -







II

Salom. 9, 1.), alma mundi conditrix, hominumque
 Prov. 8, 31. Sap. Sir. 24, 6 f. Ioh. 1, 5.), post multos
 osque irritos mortalium erudiendorum conatus (Sap.
), in terra Israelitica fixit pedem (κατεσκηνωσε v. 8.
), humanamque sibi Iesu Christi formam induit. 'O
 ἐγενετο: diuina sapientia inter Iudaeos surrexit,
 o vnita. Praeter moralem istam diuinae sapientiae
 nem vix opus erat, vt alia historiae I. C. primordia
 aret, quamuis accurate satis et sine vllis traditionum
 de illis exponere potuisset.¹⁶⁾ Eandem viam in-
 dius Paulus, qui diuina Messiae praedicata colli-
 tenus a Ioanne differt, vt in sapientiae, quam sum-
 en in Messiam transfudit, descriptione non Iesaiam,
 biorum auctorem sequatur, quare factum est, vt
 rimum a Deo creatum (πρωτοτοκον πασης κτισεως
) esse adfirmet, quum de sapientia idem contendat
 v. 8, 22. קנני (ἐκτισε Deut. 32, 6.), רכזי רכזי
 וסמא). Ioannes autem, spiritum sapientiae inter
 Dei attributa referens,¹⁸⁾ τον λογον vere Θεον, hunc-
 ενσαρκωθεντα esse adferit.¹⁹⁾ Plura decerpere ex
 historia

HERDER *vom Erlöser der Menschen*, p. 60 sqq.

OPPE ad Rom. IX, 5.

ICHHORN l. c.

dam hanc in rem iam bene disputata videas in cel. HEZELII
Schriftforscher, tom. II. p. 549 sqq. De discrimine Christo-
 oannis et Pauli, quod hic innuere tantum licet, alio loco co-
 sponposituri sumus.

35.
3
3
31.
29.

